

1547 exutus, agris, oppidisque paucis exceptis, mulctatus, arma, atque omnia tormenta aenea, rerumque bellicarum apparatus Cæsari traderet. Fractis, ac prostratis Saxonum Ducis viribus, Lantgravius consternatus, atque a Cæsaris tantum clementia salutis sibi præsidium quærendum ratus, Halam, ubi tunc Cæsar erat, profectus, & ad illius genua provolutus, demississime veniam petiit, atque iis legibus obtinuit, ut quatuor ex suis ditionibus urbes continuo traderet; loca nonnulla munita dirueret; certam pecuniæ vim penderet; bellicas machinas Cæsari præberet; vitam illius beneficio incolumem haberet; interea captivus detineretur. Itaque pacatis Germaniæ rebus, Augustæ Vindelicorum comitiis indictis, magno Principum, ac nobilium virorum numero stipatus, cum Joanne Federico Saxone captivo triumphantis specie urbem ingreditur. Multa in eo ad Cæsaris res provehendas decreta; in iis ut Principes ac liberæ civitates eam pecuniæ summam conferrent, qua perditum viginti, quatuor equitum millia ad Imperii maiestatem retinendam, si opus esset, cogerentur, quibus Austriaci quoque cum eorum ditionibus defenderentur; atque iisdem fœdera cum Principibus, ac liberis civitatibus perpetuo intercederent.

Philippus
Lantgravius ad
genua Cæsaris
provolutus.

Augustæ
Vindelicorum
comitia a
Cæsare in-
dicuntur.

Cæsar Senarum
præsidium
imponit.

Populinum
Cæsar ad-
ipsci niti-
tur.

Hæc tam brevi tempore a Carolo prospere, ac feliciter confecta, ut Caji Cæsaris verba paulo immutata pronuntiaret: *Veni: Vidi: Deus vicit*, cunctorum Principum animos infueto blandientis fortunæ splendore perstrinxerant; cum adjunctis oppidis, atque urbibus, hostibus fractis, & captis, Germania prope universa edomita, minime contentus, ad majora consequenda summo studio niteretur; atque imperio in Italia augendo sedulo, ac vehementer operam impenderet. Ob id Senarum in Hetruria urbem, civilibus dissensionibus distractam, quadringentorum Hispanorum militum præsidio imposito, reluctantem perdomuerat; Populinum securitatis specie, puero Jacobi Appiani nuper defuncti filio ejecto, ad se attrahere conabatur, ut situ ad maritimas res obeundas opportuno in Hetruriæ litoribus mari Tyrrheno immineret. Mediolanum quoque urbem ingenti tormentorum numero, & Hispanorum militum præsidio muniverat; cives, ut ei, quem Insu-
bribus Ducem diceret, obtemperaturos pollicerentur, jure ju-
ran-